

CANADENSIMUM DOMUS & RES FAMILIARIS; MORBI;
ÆGRORUM CURA & MORTUORUM.

JAM, si mores & indolem gentis requiras, partim
vagi degunt, in silvis per hyemem, quò venatio-
nis uberioris vocat spes; æstate, ad amnium
ripas, ubi præbet facilem annonam piscatus: aliqui
pagos incolunt. Casas fabricantur infixis humi per-
ticipis: latera corticibus intexunt; pellibus, musco,
ramis operiunt fastigia. In media casa focus: in
summo tecto foramen, emissarium fumi. Is ægre
eluctatus totam, ut plurimum, casam sic opplet, ut
coactis habitare in hoc fumo advenis sœpe oculorum
acies obtundatur, & hebefcat: barbari, durum genus
& his affuetum incommodis, rident. Domesticæ rei
cura, & quidquid in familia laboris est, imponitur
feminis. Illæ domos figunt, ac refiunt; aquam, &
ligna devehunt, cibos apparant: vicem & locum man-
cipiorum, opificum, & jumentorum, implet. Vena-
tionis & belli cura, virorum est. Hinc gentis soli-
tudo, & paucitas. Mulieres enim, ceteroquin haud
infecundæ, his districtæ laboribus, neque maturos
edere queunt fetus, neque alere jam editos: itaque
aut abortum patiuntur, aut partus recentes destituunt,
aquaitioni, lignationi, ceterisque operibus intentæ;
vix ut trigesimus quisque infans adolescat. Accedit
rei medicæ inficitia, cuius ignoratio facit ut è morbis
paulo gravioribus raro emergant.